



Die  
ss

not

#

32 31

DE  
FATIS ARTIS MVSICAE  
BREVIS AC SVCCINCTA

PROLVSIO

QVA

AD DECLAMATIONES ALIQVOT A. D. VI. APR.  
BENIGNE AVDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

DECENTER INVITAT

M. IOANNES PETRVS MILLER

RECTOR ET COENOB. MARIENTH. SVB - PRIOR.



HELMSTADII  
Formis Michaelis Güntheri Leuckart. MDCCCLIV.

DE  
БАГИС НЯТІЗ МУЗІКАН  
ДРЕВА САСІДІЧА

ЛІРУАСІ

АЛІНЯ ТОЧНА ЗЕМІНА МАСІСІА  
ДІВІЧА ВІДІЧА  
АЛІОНІЛ ТЕ-ГОЛОПА  
ХІРІМ ЗУІЧА ЗЕМІАІМ  
ДІВІЧА ВІДІЧА

ЛІРУАСІ  
ДІВІЧА ВІДІЧА



S. I.

**E**xcellenter istam artem, vocum ac nervorum cantibus sonorumque varietate aures demulcendi humanas, quam MUSICAM vocamus, in summo apud veteres honore fuisse, nostrum nemo est, qui prorsus ignoret. Non enim modo ipsos deos illa impensius delectari statuebant; verum etiam in ea excellere, in summorum hominum laudibus ponebant. Illos vero, qui litteris vacarent, sine turpitudine quadam expertes esse hujus artis posse negabant, quam scilicet non solum inter sepiem illas, quas vocant, *liberales artes* referrent; \*) sed, quod majus adhuc est, omnem reliquarum scientiarum complexum & caput quoddam arbitrarentur esse, ut bene hoc, qui multa alia egregie, ad *Tuscul.* *Quaest. Cic. I.* observavit *MVRETVS.* Vnde illud est, quod nem olim eruditus atque elegans haberetur, nisi Musicae operam dedisset, vocarentque Graeci in primis, hominem rudem & agrestem *ἀργετον*, ut est apud *QVINCTILIANVM.* \*\*) Quare, quum & nostri juvenes idoneo sub magistro severiora studia suavioribus his Musis temperent, & in magna ubique sint existimatione praestantes in arte sua Musici: operae me pretium facturum existimavi, quodsi succincta historiae Musices enarratione actui nostro jam quidem praecinarem.


\*) GRAM loquitur, DIA vera docet, RETH verba colorat,  
MVS canit, AR numerat, GEO ponderat, AST colit astra.

\*\*) Aeschines adv. Timarchum, καὶ γάρ πρὸς τοῖς ἀλλοις ναοῖς ἀμπετούσις οὐτός καὶ ἀταινέατος ἀνθρωπός εἴη. v. rel. testim. in den Ausz. aus Disput. ad ann. 1751. p. 490. f.

IX. Progr.

A 2

S. II.



§. II. Natales divinae artis nihil est, quod longius repetamus. Facile enim in LVCRETII sententiam descendemus, qui, homines oscinum cantus, quibus in silvis & agris mire delectabantur, humanae vocis modulatione imitatos fuisse existimat. Mox vero metalla tractantes jam fortius jam lenius pulsata modo acutorem, modo obtusorem sonum excitari, quibus patulae erant aures, haud difficulter animadvertebant. At, avium vocis miras vicissitudines, suavissimasque illas cum intentiones tum remissiones delicatasque in primis sonorum flexiones aeris tinnituum aliquantulum exprimere & aquare, id vero excitatoris & facti ad imitandum ingenii labor & exercitatio erat. Celebre igitur ab hac aurium & ingenii subtilitate nomen in ipsis sacris libris sortitus est IUBAL Gen. IV. 21. In poeticis vero fabulis illi ipsi homines, quorum ingenii difficillimarum utilissimarumque rerum inventio tribuitur, artis hujus auctores fuisse traduntur. Dicitur enim APOLLO, ipse Musarum praeses, cum boves Admeti Regis pasceret, solitudinis & agrestis operae molestias leniturus, eitharam invenisse; quam cum paulo post incredibili suavitate MINERVA tractaret, r̄is M̄st̄m̄s cognomen sortita est. Prima etiam tibiarum usum excogitasse fertur; abjecisse autem mox iterum, quod in aquis ad foeditatem usque inflatas suas buccas vidisset. AMPHIONI inventae Musices laudem PLINIVS major tribuit. Alii aliis, ut quisque impensius cuidam antiquitatis heroi favet.

\* Conferendi hic, quibus vacat, sunt MARCI MEIBOMII *auctores antiquae Musicae graec. lat.* Amstel. 1652. & quos laudat STOLLIVS in der Hist. d. Gel. P. I. C. I. §. XXII.


§. III. Sed ea omnia, quae de rerum inventoribus traduntur, ita sunt involuta poetarum fabulis, ut fere pugeat, hisce in nebulis lucem aucupari. Mittamus ergo haec & veriora consectemur. Quid vero credibilius est, quam simplicissimam hanc artem antiquissimis temporibus fuisse. Solent enim artes, ut rivi, a tenuibus prin-

\* \* \*

principiis, ipso cursu augeri & quum latius serpere incipiunt, & magnas accipere aquarum accessiones, & laetius sese in plures agrorum partes diffundere. Credibile itaque est, primos Symphoniacos nervis suis ac tibiis tres aut quatuor, sensim vero plures voces expressisse; additas deinceps exercitatione & studio artificum suisse duplicitos & suavi discrepantia numerorum concordes sonos. Quid enim aliud sibi volunt quinque species harmoniarum, quas MACROBIUS *commentario in Somnium Scipionis* commemorat, scilicet διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πεντών, καὶ διὰ πέντε, διὰ διὰ πασὸν καὶ ἀπαρτ' ὅκτω. Exsertis autem verbis BOETIUS L. de Musica docet, antiquitus harmonicam rationem heptachordo tantum constitisse i. e. septem fidibus, quarum ima ὑπάρχη dicebatur, summa ὑπῆ. Adiecta deinceps τὴν μέσην, duplicitisque chordis ad XV. tandem voces bonis avibus fuit peruentum. Ex qua effecta est harmonia illa διὰ πεντών per omnes, quam ERASMVS in *Chiliadibus* eruditè explicat. \*)

\*) Explicabimus haec verbis b. DES VIGNOLES dans ses *Remarques sur la Musique des Anciens*, v. la Biblioth. Germ. nouv. T. X. p. 132 f. Ita vero ille p. 144. rem tradit: „Les premiers Instrumens des Grecs étoient nommés *Tétracordes*, parce qu'ils étoient composés de quatre cordes, dont la première & la dernière, toujours *fixes*, formoient un Quartre: comme *St*, *Mi*, & *Mi*, *La*; ou B. E. & E. A. de nos Clavecins. Les deux Cordes du milieu étoient différemment disposées, suivant leurs trois *Genres de Musique*, qu'ils appelloient *Diatonique*, *Chromatique* & *Enharmonique*. Dans le Genre Diatonique il y avoit un *Demi-ton*, seulement, entre la première & la seconde corde, & un ton entier entre la seconde & la troisième; de même qu'entre la troisième & la quatrième. Dans le *Chromatique*, ils mettoient deux Demi-tous de suite; & une Tierce mineure, qui vaut un Ton & demi et. Addiderunt deinceps οἳλαν, τὴν προσλαμβανομένην (A) & οἳλαν alteram vocem, ut melius aequarent vocem humanaam.

§. IV. Haereamus vero paullulum adhuc in hoc loco, quamquam pauci sint, quos juvet in eo morari. Cognoscamus paucis



cis de modis veterum, quos τρόποις Graeci vocant. Sunt autem finiente ARISTOTELE illi νόμοι, καθ' οὓς τὸν ἀδόμενον. Vetus auctor apud Fabrum in Thesauro definit MODVM, quod sit lex quaedam & ordo vocalium intervallorum & differentia: vel ut Aristoxenus definit, non utcumque compositum vocalium temporum intervallum. Habent ergo aliquid commune cum canendi apud nos normis, quas Melodias sive *Gesangweisen* vulgo appellamus, quamquam potius ad universam Musicae rationem pertinere modos ex dicendis patebit. Graecarum autem civitatum suum una fere quaeque habebat modum, quia haud dubie genio civium & moribus unus altero erat attemperior; aut quod probabilius est, nata fuit haec troporum varietas ex ipsis Graecorum inter se desua cujusque artis praestantia certaminibus. Quae quidem nemo mirabitur in ea gente, in qua cuicunque, ut ingenio aut corporis agilitate ceteris maxime antecellebat, ita amplissimi honores publice decernebantur. Fuit autem primus modus harmoniae is, quem Dorium appellant, *Phrygius* alter, *Lydius* terius. Qui, cum inter se a prudentibus artificibus sagaci temperatione miscerentur, alii orti sunt, misti nimirum generis illi. De Dorio non satis constat inter viros eruditos, qualis is fuerit. Moderateorem ac delicatiorem fuisse SVIDAS ex incerto auctore refert. In omnia alia abit APVLEIVS, qui *Florid.* L. I. inquit, Phrygiam musicam ad religiosam pietatem inflammasse mentes, Dorianam belli & ferociae impetu quodam animos corripuisse. LUCIANVS vero in *Harmonide* explicat rem aliter: ἐκάστης ἀρχαιολογίας διαφοράττειν τὸ ίδον, τῆς Φρυγίας τὸ ἔνθεον, τῆς Αὐδίας τὸ Βαυκχιόν, τῆς Δωρέας τὸ σεμνὸν, τῆς Ιωνίης τὸ γλαύφυγον id est, ut Erasmus reddit: *Unius cujusque harmoniae servare proprietatem*, Phrygiae dicitum *impetum*, Lyiae *bacchanalem furorem*, sive *licentiam*, Doricae *severitatem*, Ionicae *jucunditatem*. DION vicissim in Commentar. de regno tradit, Alexandrum

xandrum M. accendi ad bellum solere ab Timotheo Musico, Dorium incidente, cui videlicet ATHENAEVS τὸ ἀνθρώπες, καὶ τὸ μεγαλορεπῆς, καὶ τὸ ὁφόδες, i. e. severitatem; majestatem ac vehementiam tribuit.

§. V. Videris Lectores, ipsorum veterum in obscura re discrepantes sententias, sed quas facile est ad jucundam *ἀγνωστα* reducere. Proponam sententiam, meam illam quidem, sed a qua nemo temere, nisi veteranum Musicorum aliquis, me retraherit. Proponam, non enim de salute, sed de modis tantum Graeciae musicis certatur. Variae sunt, ut facierum formae, ita animorum naturae. Ille leni oratione & soni modulatione flectitur: tenerum enim aliquid & molle habet ejus animus, qui vel aliqua artis scintilla sponte liquecit: Durior alter est nec nisi impetu & quasi torrente abripi se patitur. Alia vi flectitur astutus Ulysses, alia filius Telemachus alia denique timor ille Phrygium, decus & tutela Pelasgi, Achilles. Videlicet hunc exultare laetitia & in risus & jocos effundi, si vilius vinum biberit; alium contra, haustis calicibus de generofiori tranquillum, nec quidquam neque de gravitate morum neque de tristitia remittentem. Deinde, ut tempora ferunt & fortunae conditio, ita jam fortius, jam lenius incitamus atque, ut sumus homines nostri haud raro dissimillimi, facile quaque re modo ad laetitiam, modo ad moerorem, jam ad languorem, jam ad res fortiter acriterque suscipiendas impellimur.

§. VI. Iam, nisi grave est, varias terras mente peragrabimus, et quae in illis Musicae fortuna fuerit, in tabula quasi cognoscemus. Apud *Iudeos* in summo pretio musicam artem fuisse, ex pluribus S. codicis locis patet. Tribuendum est iis id laudis, quod soli intellexisse videantur, cui usui excellens haec & in concitandis animi motibus mirifica ars suo jure debeat destinari. Adhibuerunt enim illam in sacris publicis mentemque

ad



ad tanti Numinis maiestatem alacriori impetu coleñdam divinis carminibus & aptis modulationibus inflammabant. i Chron. XVII. 41. Ps. LXXXI. 3-5. CL. i. Numquam tamén lactiori fortuna usa esse in sacra hac DEO gente Musica videtur, quam Davide et Salomone ad gubernacula fédentibus. Ille enim non modo carmina divino afflatu fusa cantoribus suppeditabat, sed ipse fidium excellens artifex regium exemplum omnibus ad majora in arte tentanda praecebat. Denique ordines Symphoniacorum ex Levitarum familia sapienter instituebat. i Chron. XXIV. 5.

S. VII. De *Aegyptiis* quid statuam, non liquet. Sunt enim non contemnendi testes, qui nullum eos locum Musicae apud se fecisse, perhibent. Ex eorum numero est DIODORVS SICUVS, accuratus rerum veterum scriptor. Hic enim L. I. Bibl. Hist. c. 81. afferit, Aegyptios Musicam non solum inutilem, sed etiam noxiā duxisse, tamquam virorum animos effemiantem. Huic vero contraria est CLEMENTIS ALEXANDRINI auctoritas, qui Strom. L. VI. in sacris Aegyptiorum adhibitant fuisse eam docet. Suspicio igitur Diodorum de usū cantus & fidium in civilibus privatisque conventibus populi id intelligere. Quod si ita est, habes rationem in promtu. Severe enim & religiose Aegyptiorum sacerdotes cavebant, ne quid, quod ad numinis cultum pertineret, ad profanos quotidianosque usus temere transferretur. Hac enim cura providebant, ut & sacra & ministri eorum sancte ab omnibus colerentur, quum alias universa Aegyptiorum superstitione ita esset absurda, ut hospites, & Romani maxime, falso nata ipsorum in horis numina riderent. Forte nec haec ratio omnino negligetur, quam CLERICVS \*) pro Musices inter Aegyptios honore adserit, quod scilicet ipsi Aegyptii Musicam artem a Thoyt, Osiridis amico, excogitatam ajunt.

\*) in Comment. ad Genef. IV. 21.

§. VIII.

\* \* \*

§. VIII. De Graecis, quibus nemo felicius de arte Musica est meritus, supra jam (§. III. & IV.) exposuimus. Iam vero quaerad post aliorum messem colligemus, quae non omnino abjicienda videbantur. In Graecia igitur, quae gloria, quae doctrina & variis artibus, imperii etiam & bellica laude floruit, quanta in veneratione fuerit Musica vel exinde iam testatum est, quod Apollo, ipse Musarum praeses, & ex his Terpfichore Polymniaque praefesse ei putarentur. Docet vero etiam claris verbis CICERO \*) qui ipse in Graecia, bonarum illa mentium illustri ea aetate officina, aliquamdiu versatus est. *Sunnam, inquit, eruditionem Graeci fitam censabant in nervorum vocumque canribus.* Igitur & Epaminondas, princeps, meo judicio, Graeciae, fidibus praecellare cecinisse dicitur: *Themistoclesque aliquot ante annos, cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctor.* Ergo in Graecia Musici floruerunt, discebantque id omnes, nec qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur. Hinc summi eorum heroes, qui vel litterarum, vel bellicae virtutis gloria valuerunt, huic quoque elegantiori & blandiori virtue condimento operam dedisse leguntur. Commemoraturque vocis & fidum egregie tractandarum scientia in virtutibus Socratis, Platonis atque Pythagorae, \*\*) quorum urumque ad animum molliendum moresque concinnius formandos musicam discordantem harmoniam attemperasse perquam ingeniose, scimus. Herculem vero atque Achillem horribiles armorum factorumque suorum strepitus humaniori hac exercitatione mitigasse accepimus. Reliquis in primis Graeciae civitatibus Locrenses emittuisse ferunt. Quamquam STRABO L. VI. & CLEM. ALEXANDRINVS in *protrept.* pudoris freна illorum carmina & modos laxasse & ad libidines morumque licentiam, impulisse molles animos queruntur. Saltim male audire feminas Locrenses a virtute notum est.

\*) CIC. *Tusc. Quæst.* L. I. c. 2. p. 1142. ed. Gron. conf. CORNEL. NEP. praef.

IX. Progr. B §. I.



§. I. Mos scil. fuit, teste QVINCTILIANO, in Graecia, ut in conviviis post coenam circumferretur lira, quam Themistocles recusavit.


\*\*) Quem nonnulli Musican in artem redigisse tradunt. Perperam sane. Homeri enim auctoritas repugnat. v. tamen RAMBLICH. de vita Pythag. c. XXVI. p. 96. cum notis Kusteri &, qui omnium est initia BRUCKERVM in Institut. Hist. phil. p. m. 192. Ceterum, Periclis aetate universam Musicam vocibus personuisse, & in Odeo maxime, auctor est PLUTARCHVS in vita Periclis.

§. IX. Transmittamus in Italian, alterum fugientium ex Graecia bonarum artium domicilium. Accepta quidem fuit Musica a Romanis, verum non ita benigne & liberaliter, atque quidem a prioribus dominis & scientiarum omnium tutoribus, Graecis. Vel pueris enim in trivio notum est, Romanorum moribus abfuisse eam a Principis persona. \*) Quam minus mirabitur togatae gentis severitatem, qui cogitaverit, eam inter bella & armorum strepitus haec otii studia tamquam infesta Romanae virtuti abhorruisse, quique Quirites severiori grauitati, constantiae animique magnitudini unice studuisse meminerit. Qui vero in hanc laudem tanta contentione incumbunt, hos necesse est, Musicam, in qua molle quid & effeminatum inesse putabant, abjecisse. Sunt tamen exempla summorum virorum, quae doceant, nulla lege vetita fuisse Musices studia, neque eo usque valuisse consuetudinem, ut nulli hac uti liberaliori mentis relaxatione licuerit. Laudat enim ut bonos Musicos ALEXANDER ab ALEXANDRO \*\*) App. Claudium, Gabinium, M. Caecilium & Licinum Crassum, viros clarissimos. Et, quid alias auctoritates quaerimus, quum QVINCTILIANO \*\*\*) quivis facile fidem adhibebit Romanos olim cum Musica in gratiam rediisse, testanti. Neque CICERO \*\*\*\*) gravis alioquin Romanae gravitatis arbiter, reperit, quod in hac arte vituperet, nisi petulans illud & molle in ludis publicis genus.

\*) CORNEL. NEP. praef. §. 1. SVETON. in Ner. c. XX. MACROB. Saturn. II. 10.

\*\*) Gen. dier. L. II. c. 25.

\*\*\*) L. I. c. 10. Claros nomine sapientiae, inquit, viros, nemo dubitaverit



verit studioſos Muſices fuisse. Veterum Romanorum epulis fides actibias  
adhibere, moris fuit.

\*\*\*\*) L. II. de Leg. c. 15. TACITVS vero histriones pulsos Italia Caefare imp. ait Ann. IV. 14.

§. X. Notabilis maxime est ille Horatii Od. L. IV. I. v.  
22. XV. 30. locus, quem adeo DES VIGNOLES eruditissima  
disputatione explanavit in Bibl. Germ. Nouv. T. X. p. 133. &  
T. XI. p. 285.

-- Lyraeque ♂ Berecynthiae

Delectabere tibiae

Mistis carminibus, non sine fistula, Et item alter:

Lydis remisso carmine tibiis.

§. XI. Apud maiores nostros, Germanos ad animos virtute in-  
flammandos, ut decebat gentem ipsis Romanis bellica laude  
formidabilem, Musica fuit adhibita. Transscribam ex TACITO  
\*) locum: Fuisse apud eos ♂ Herculem memorant primumque o-  
mnium fortium virorum. Iruri in praelia canunt. Sunt illis haec  
quoque carmina, quorum relatu, quem baritum vocant, accendunt  
animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur; ter-  
rent enim, trepidantve, prout sonuit acies: nec tam voces illae,  
quam virtutis concentus videntur. Affectatur praecipue asperi-  
tas soni, ♂ fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior ♂  
gravior vox reperclusu intumescat. rel. Ah! heus tu, ad Muſi-  
cam hos Mariis strepitus & boatus refers, inquiet nonnulli,  
quos ne Cyclopes quidem, malleorum pulsationibus adsueti,  
facile ferrent, tantum abest, ut delicatae Muſarum aures? Agno-  
ſco errorem. Druidas igitur heroum suorum facta cantantes  
audiant, aut suaviores his adhuc, symphoniacos Bardos. \*\*)

\*, L. de Mor. Germ. c. III. §. 1. 2. 3.

\*\*) c. I. c. II. §. 3. ubi historiam der Meiftersaenger Cl. VETTERVS illustrat.

§. XII. In Christianorum conventibus religiosum Muſicae usum  
inde a primis temporibus fuisse, ipſe S. PAVLVS bis testatur, scil.  
Eph. V. 8. & Colos. III. 19. Et qui fieri poterat, ut non in sum-



mo pretio habita fuerit illius artis honesta voluptas, qua ipsae ca-  
 lissimae caelitum mentes in ista divinarum deliciarum affluentia  
 delectari mire credebanter. Apoc. V. 9. XIV. 3. Docet tamen  
 clarius adhuc IVSTINVS MARTYR, in Orat. ad Anton. Pium. *Gra-  
 to*s nos illi, inquit, exhibentes rationalesque pompas et hymnos ce-  
 lebramus atque decantamus. Nihil quidem hic de Graecorum  
 modis, nihil de organis, nihil de arte, memoratur. At quis dubi-  
 tet, quem omnia ἐνχρήσια in fidelium coetibus peragi suer-  
 runt; quem CHRISTI fideles mores patrios, qua puri a super-  
 flitione erant, et publica instituta non spernerent; quem non  
 omnino omnem externam pompam in sacris abjicerent: &  
 quod primo loco poni a me debuisset, quem Iudaica instituta  
 (quod post cl. VITRINGA neminem negaturum esse arbitror) in  
 sacris suis publicis imitarentur, quis inquam, dubitet, decore &  
 scienter eos laudes DEI & Servatoris cecinisse. Imo docet BA-  
 RONIVS ex Clem. Alex. & Basilio (ad A. C. 60. p. 490. ed. Rom.)  
 Choros, sibi mutuo respondentes & Cantores fuisse institutos,  
 & de instrumentis quoque symphoniacis atque de aliis circa  
 Musicam legibus plura memoratu non indigna adfert, quae in-  
 vitus omitto. Immo vero in Romana postea ecclesia, ut sunt  
 Itali facti ad musicas suavitates, eo evecta est artis veneratio,  
 ut dum cultus sacri pars princeps quaedam haberet inciperet, in  
 theatram fere pompam transfiret. Arcessivit jam CAROLVS M.  
 ex Italia Musicos ea aetate celeberrimos, ut Monachus Engo-  
 lismensis docet. \*) In nostro coetu abjectis iis, quae turbare  
 mentes rei divinae vacantes possent, nervorum vocumque arti-  
 tantum loci datur, quantum habet virtutis, ad ferendos subli-  
 me cum leni quadam vi animos eosque divinarum deliciarum  
 gustu quodam demulcendos. Cantantur igitur carmina, qui-  
 bus magnifice & decore laudes divinas celebramus. Volent  
 tamen forte tecum cordati omnes, artificiosa ista revivisceret  
 simplicitas, quae sub ERNESTO PIO in Ducatu Gothano agros in

Ar-


Arcadicos campōs mutavit; templa vero in jucundissima di-  
vinarum laudum domicilia. \*\*)

\* ) In vita Caroli ad a. 387. postquam enim ludicram cantorum Romanorum & Francorum gladiationes jucunde narraverat, *Correcti ergo sunt, inquit, Antiphonarii Francorum, quos unusquisque Francorum pro arbitrio suo vitiaverat addens vel minuens, & omnes Franciae Cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam.* - - - Similiter eruditierunt Romani Cantores supradicti cantores Francorum in arte organandi, & Dominus REX CAROLVS iterum a Roma artis Grammaticae & computatoriae magistrorum secum adduxit in Franciam, & ubique studium litterarum expandere iussit. NB. *An te ipsum enim Dom. car. r. in Gallia nullum fuerat studium liberum artium,*

\*\*) Dans les Temples des plus petits villages on chantoit les Pseaumes avec tant de Mélodie, qu'elle égaloit celle de villes les plus peuplées.  
v. *La vie d'Ernest le Pieux par Mr. Teissier p. 28.*

S. XIII. Quaenam Musices fortuna inter Italos, Gallos et Germanos nostros patrum & nostra aetate sit, longum nimis est ordine percensere. Nemo est, qui ignoret, amplissimam illam ubique fere esse, lautissimisque conditionibns summos in hac arte magistrorum in aulas principesque urbes arcessi. Ut adeo non sit, quod valde miremur, certatim omnes ad summum, quod quidem datur, fastigium artem suam, ut quisque ingenio excellit ac industria, evehere studere. Nec invident Terpsichoreae hanc felicitatem sorores Musae; relaxationes potius & honestissimas oblectationes ab ea perunt, & dum remissiores sunt, laborum mole depresso suaviter ad fidium nervorumque dulciores strepitus conquiscent. Floreat itaque in ipsis Principum palatiis Musica, nec umquam desideret Leopoldos aut Ludovicos. Immo floreat nostro etiam bono, qui in umbraculis nostris nostros DEI optimorumque Principum laudes pia arte cantare docemus.

S. XIV. Diximus hoc usque de summa artis musicae apud cultiores gentes aestimatione. Restat, ut de inimicis & obreftatoribus pauca dicamus. Neque enim juvat, eam artem lon-



ga oratione defendere, quae a se ipsa satis est armis instructa, ut facile victura sit, si vocata in jus audiatur. Memoriae proditum est, SOPHOCLEM a filii de neglecta re familiari in judicium vocatum fuisse: tum ab insipientia semet purgaturum eam fabulam, quam proxime scripserat, *Oedipum Coloneum* judicibus recitasse, quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato, sententias judicum esse liberatum. Idem futurum arbitror, quodsi Musica sententiam dicere coram cordatis arbitris jubeatur. Quotquot enim illam ut illiberalē & improbablē artem contemserunt, homines fere fuerunt natura difficiles & morosi, qui omnem sensuum oblationem ut turpem & in se malam damnarunt. Fuerunt ergo Cynici; fuit Antisthenes, fuit Seneca, Stoicus philosophus. Illorum mordacitatem non est, quod multum moremur. Hic vero, ut gravis est multis in rebus et sapiens, ita in hoc loco plane ridiculus est, et ad nefio quem fastum delapsus. *Quid illi*, inquit (L. I. de brev. vita c. 12. p. m. 569.) *qui in componendis, audiendis, discendis canticis occupati sunt, dum vocem, cuius rectum cursum natura & optimum et simplicissimum fecit, inflexu modulationis ineptissime torquent: quorum, cum ad res serias, saepe et tristes, exhibiti sunt, exauditur tacita modulatio.* Quaenam ista tandem est Natura, quam ut Deum sequitur Zenonis discipulus? Num inertis otii, num rusticatis magistra & commendatrix? Cur tu ipse, bone Seneca, sermonis flexiones & lepores magis quam simplicem orationem secessatus fuisti in tuis libris?

§. XV. Quanto igitur sapientius philosophati sunt, qui abusus & hominum vitia ab arte removenda, ipsam vero servandam, tamquam miserae hujus vitae quoddam condimentum pronunciarunt. Damnat, ut sapientem & probum hominem decet, CICERO & QVINCTILIANVS histriōrum licentiam, qui ad lascivos petulantesque ritus inovendos vocum tibiarumque suavitatibus ea jam, ut nostra pro dolor etiam, aetate turpissime abutebantur. Audiamus utrumque: Ille L. de leg. c. 15. ed. Gr. p. 1299. inquit: *Iam iudi publici - finit*

*cor-*

corporum certationes: -- cavaea, cantu, voce ac fidibus & tibiis; dummodo ea moderata sint, (uei licet) ut lege praescribitur. Assentior enim Platoni, nibil tam facile in animos teneror, atque molles insuere, quam varios canendi sonos. Quorum dici vix potest, quanta sit vis in utramque partem. Namque & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit: civitatumque hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum vocum servare modum; quarum mores lapsi ad mollitiem, pariter sunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine, corrupselaque depravati, ut quidam putant; aut cum severitas eorum ob alia vita cecidisset, tum fuit in auribus animisque mutatis etiam huic mutationi locus. Longum locum integrum volui apponere, quum totam litem absolvere & utramque questio[n]is paginam facere videatur. Inga[n]us TULLIO alterum Romanae sapientiae decus FABIVM. Is vero L. I. c. 10. inquit: Ut manifestum fiat, quae mihi & quatenus Musice placeat; apertius profunditum puto, non hanc a me praecipi, quae nunc in scenis effeminata & impudicis modis facta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit: sed qua laudes fortium canebantur, quaque & ipsi fortes canebant.

§. XVI. Bis igitur peccat, qui Musica turpiter abutitur. Primum, quod acceptissimum caeli munus in pestem animorum mutat; deinde, quod vita lenocinio quodam ingenii & artis commendat. Pulcre hinc & jucunde PHERERATES apud Plutarchum L. de *Musica*, introducit *Musicanam*, mulieris forma toto corpore verberibus pessime deformatae *Iustitiam* autem quaerentem, quae sit illa tantæ foeditatis causa: tum miserans mulierculam facit respondentem, carmina in accusationem eorum, qui candorem illiu[m] suum pristinum & cum suavitate majestate conjunctam chromatice modulis foede corruperint. Adfert etiam BARONIVS quem dixi, loco severas Christianorum leges in eos latas, qui Christianam istam castitatem Musicae quadam luxuria dissolutis modis impudenter depravarunt.

§. XVII. Quodsi ergo artificum *vitia* perversumque multorum usum ab ipsa arte resecemus, innocens a quovis aequo pronuntiabitur; quiique migrare hinc eam jubent, & nescio, quo locorum miseram abire, parum cogitant, quam dure in nos statuant, quibus ad reficiendos ex continuis curis & laboribus animos nostros hoc dedit DEVS pro sua in nos indulgentia remedii, ut ad placidos nervorum tremores quidquid molestiarum oblatum est, id honesta fidium voluptate deliniti obliviscamur, nostrasque sollicitudines liberali carmine, magica quadam vi feliciter dispellamus. Equidem si regius olim ille artifex divina arte malum genium,

Sau-



Saulē misere divexantem, fugavit; si Orpheus atque Linos ipsas bestias lyra ita demulserunt, ut abjecta feritate hominum instar blandiores mores induerint; animos autem faxis duriores adeo emolliverunt, ut agrestes mores in jucundos elegantesque opinione citius mutarint: quid non in iis mentibus effecturam illam esse censemus, quos liberalior vita & humanitatis studia dudum perpoliverunt. Tanto autem melior eorum artificum ars erit habenda, quanto majori religione virtutem tantummodo verumque decus honesta suavitate commendare juvenibus maxime, annitentur. Memoriae proditum est, cum in celebri ista navigatione Argonautarum periculum esset, ne molli ac delicato Sirenum cantu Iason & socii ad interitum pertraherentur: unum eos ex his faucibus eripuisse ORPHEVM; quippe qui assidens in puppi fidesque blandis impellens digitis tanta aures animosque omnium voluptate complevit, ut nemo esset de navigantibus, qui Sirenum cantus curaret.

Ut vero olim epulis apud Romanos teste Tullio, praecinuere fides: ita animorum illi & bonae frugis convivio, quod in Schola instituetur nostra, praeludere quasi hac disputatione voluimus. Examine enim DEO bene juvante, more solemnī pridie peracto, ab hora IX. hoc ordine dicturi sunt sequentes ex prima Classe juvenes, ingenui studiis & moribus insigniter ornati: quorum tres posteriores non sine amoris nostri tenerioris signis & absolutae omnibus numeris felicitatis voto ex finu & complexu nostro dimittimus, altiorumque disciplinarum in ALMA IULIA CAROLINA celebrerrimis summisque doctoribus vt vere nostros, de meliori enixius commendamus. Scilicet

JU. GER. TOPP, *Cellensis ex limitibus sentientium organorum corporis nostri demonstrabit divinam erga nos bonitatem. or. germ.*

JO. FR. DRUDEN, *Magdeb. de instituendi juvenilem aetatem apud veteres ratione Latine exponet.*

JO. PE. KUHLMAYER, *Helmst. Serm. Germ.* incredibilem Musices vim & laudes praedicabit.

PHIL. GE. EL. LICHTENSTEIN, *Wolfent. de conjugenda cum humanitatis litteris morum elegantia vernac. lingua differet.*

Meum est, vos, bonarum litterarum Fautores & Ornamenta intensius rogitate, ut singularem benevolentiam, qua deesse bono nemini soletis, in audiendo etiam adolescentibus nostris ad majora ituris excitandisque humaniter impertire velitis. Dab. Helmstadii a. d. iv. Aprilis

A. O. R. S. MDCCLIV.

DD A 6427

ULB Halle

002 927 292

3




WDA8

R



**Farbkarte #13**



DE  
ARTIS MVSICAE  
VIS AC SVCCINCTA

PROLVSIO

QVA

INATIONES ALIQVOT A. D. VI. APR.  
BENIGNE AVDIENDAS

NOS ET FAVTORES

DECENTER INVITAT  
NES PETRVS MILLER  
ET COENOB. MARIENTH. SVB - PRIOR.



HELMSTADII  
aelis Güntheri Leuckart. M D C C L I I I I .